

XVII.

אהלים

Num. XXIII. 6. Psalm. XLV. 9. Prov. VII. 17.
Cant. III. 14. אלה, Joh. XIX. 39. *Agallochon* Diosc.,
Agallobum Prasantissimum. Arbor Aloës.

C. Baub. Pin. 393.

Aquilam *αεχχον και βασιλεα ιερων* Græci, Latini *Volucrum reginam*, Hebræi *מלך העופות*, *Regem Avium*, & Arabes *سيد الطيور Avium Dominum* appellant. ^{a)} Est apud Indos Orientales, eximia fragrantia & raritate mirabilis arbor, quam Taprobanes incolæ, tanquam stirpem Reginam, *aquilam* etiam vocant. Aloë dicitur hæc nonnullis, qui ab aliquot seculis Græcè & Latinè scripserunt. Quod Dioscoridis sit *αγאלλοχον*, descriptio illius, & Arabum appellatio *ألو*, *Agalagin*, ex eo nomine palam efficta, evidētissime probant. Aloën apud vetustos scriptores lego ^{b)}; sed pro planta longe diversa; eademque terti odoris, & amarissimi succi. Nostri vero aromatica est, excellentissimique odoris, quæ an fuerit Græcis & Romanis *aloës* nomine antiquitus cognita, nobis incertum. Quin ad hæc usque tempora Europæis ferre mansit ignota, ad quos genuinam, & veram hodie afferri, rerum exoticarum viri etiam peritissimi negant. Primi fuerunt Arabes, qui præstantissimæ arboris notitiam orbi nostro aperuerunt in libris suis, quos de Medicina, & re botanica scripserunt. Quæ autem illi

^{a)} Bochart, Hieroz. Part. II, lib. 2, c. 1. ^{b)} Juvenal, 6, Dioscor., Plin. 8, c.

de arbore, apud ipsos quoque peregrina, tradiderunt, partim eorum librarii, exempla Arabica describentes, partim interpretes Latini, linguæ Arabicæ imperiti, primis renascentium literarum temporibus, prorsus corruerunt; neque fieri aliter potuit, quando aggressi sunt ea interpretari, quæ rectè legere & intelligere non didicissent.

Hinc Joh. Bauhinus in sua de *Agallocho* commentatione poene irascitur illis, qui Arabicæ linguæ facultatem aliquam indepti istis tamen versionibus medelam afferre non sustinuerint. Ita enim queritur haud immerito: Oedipo aliquo opus esset, aut Delio natiore ad interpretandas tam barbaras, & male comtas voces. Cur hic non se exercent, qui tantopere universam Arabiam perlustrasse gloriantur ^{a)}? Quibus similia legas apud Garciam in Aromatum historia ^{b)}, & alios.

Arabes hujus arboris plurimas habent appellationes ^{c)}, ut solent res illas, quarum frequentior apud eos est usus, variis nominibus insignire. *Agallocho* autem ad suffitum; ab antiquissimis retro temporibus, sunt inprimis Arabes delectati. Quod cum ipsi non haberent, ab Indis Orientalibus acquirere difficile non fuit. Cum ipsa autem merce nomen *اللوة Alluwe d)*, ad illos forte manavit, unde factum deinde a Græcis, & Latinis hominibus *aloë*. Hebræis autem אהלים *Abalim*, & אהלות *Abalor*, sub duplici terminatione, hæc ligna dicebantur, ut הכלים & הכלות *templa*, מנדלים & מנדלות *turres*, אשיות & אשיות *legena*, & שדים *agri*, שנים שנות & שנים *Anni*, &c. *Abalim* autem & *Abalotb*, numero plurium, ut nomina lignorum, אלוטים

^{a)} Joh. Bauhin, H. Plant. To. 2, lib. 4, p. 467. ^{b)} Garc. p. 69. ^{c)} Gol. Lex. Ar. 123. 167. 200. 1048. bis. 1665. 1926. 1927. 1997. 2105. 2164. 2171. 2180. 2184. 2340. ^{d)} Id p. 2180.

BIBLIOGRAPHIA HUNTIANA / Form B — Botanical articles

Author(s)

^P *Celsius, Olof*

Title

~~[vide xeron]~~

Agallochem praestantissimum.

Abbreviated reference

~~Acta Lit. Sci. Sveciae 4 ^([3]) : 280-311. 1742~~

Acta Lit. Sci. Sveciae 4([3]): 280-311. 1742 [1737]

MLP 37A

Notes